





4,224.  
1783,1  
DE IURISDICTIONE DELEGATA 15  
EIVSQUE ET MANDATAE  
DIFFERENTIIS  
DISSERTATIO

( )  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPE 306  
ET DOMINO

DNO FRIDERICO II

HASSIAE LANDGRAVIO RELIQUA  
ILLVSTRIS IURISCONSULTORVM ORD. AVCTORITATE

VT ADITVM SIBI  
AD SVMMOS IN VTRQVE IURE HONORES

APERIRET

AD BIEM XXVII. FEBR. CIOCCCLXXXIII

PROPOSUIT DISPUTANDAM

VOLCHARDVS MEYER

BREMA - SAXO

---

MARBVRGI CATTORVM  
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA BAYRHOFERIA,



LIBERAE ATQVE INCLVTAE  
S. R. I. REIPVBЛИCAE BREMENSIS  
SENATVI SPLENDIDISSIMO  
VIRIS  
PERILLVSTRIBVS MAGNIFICIS  
EXCELLENTISSLIMIS CONSVLTISSIMIS  
PRVDENTISSLIMIS GRAVISSIMISQVE  
P R A E S I D I  
C O N S V L I B V S  
S Y N D I C I S  
S E N A T O R I B V S

PATRIBVS PATRIAЕ  
RELIGIONIS LIBERTATIS ET IVSTITIAЕ  
DEFENSORIBVS VIGILANTISSIMIS  
MVSARVM TVTORIBVS OPTIMIS  
PATRONIS AC FAVTORIBVS  
OMNI REVERENTIAE CVLTV  
SVSPICIENDIS  
PERPETVAM FELICITATEM  
INCOLVMITATEMQUE  
PIE PRECATVS  
HANC DISSERTATIONEM  
DEVOTA MENTE

D. D. C.

VOLCHARDVS MEYER



## CONSPEC TVS

---

### INTROITVS.

CAPVT I. Quo in naturam vtriusque iurisdictionis tam mandatae,  
quam delegatae inquiritur.

- §. 1. Iurisdictionis notio et origo,
- §. 2. eius in sublimem et subalternam diuisionem.
- §. 3. Modis, quibus alicui confertur,
- §. 4. Administratoria iurisdictionis dispescitur in propriam atque  
mandatam.
- §. 5. Haec differt a potestate iudicis vicarii.
- §. 6. Quo titulo iurisdictionis mandata detur?
- §. 7. Quibus personis competit ius mandandi?
- §. 8. De obiecto iurisdictionis mandatae,
- §. 9. vel uniuersali, vel particulari.
- §. 10. De modis eam finiendi.

A 3

§. 12.

- 
- §. 12. De usu hodierno huius iurisdictionis.  
 §. 13. Iurisdictionis delegata quaenam sit?  
 §. 14. Fontes huius doctrinae.  
 §. 15. De iure delegandi.  
 §. 16. De fundamento delegatae iurisdictionis.  
 §. 17. De forma eius.  
 §. 18. Personae, quibus delegari potest.  
 §. 19. De iure subdelegandi.  
 §. 20. De potestate plurium delegatorum.  
 §. 21. Transitus ad alterum caput.

CAPUT II. Sistens differentias inter iurisdictionem mandatam  
atque delegatam.

- §. 22. Aliorum circa hanc rem referuntur sententiae.  
 §. 23. Prima differentia, a diuerso fundamento desumpta;  
 §. 24. 2<sup>da</sup>, in qua ad diuersitatem inter mandantem et delegan-  
tem respicitur;  
 §. 25. 3<sup>ta</sup>, de obiecto eius desumpta;  
 §. 26. 4<sup>ta</sup>, de effectu et finibus utriusque iurisdictionis;  
 §. 27. 5<sup>ta</sup>, differunt etiam intuitu formae, et  
 §. 28. 6<sup>ta</sup>, relationis, in qua sunt iudex delegatus et manda-  
tariorius;  
 §. 29. 7<sup>ta</sup>, quo ad modos utramque finiendi iurisdictionem.  
 §. 30. Conclusio.
- 

IN-



## INTROITVS.

---

Inter innumera iurisprudentiae capita , quae hucusque perpetuis obnoxia fuerunt disputationibus , doctrina de *iurisdictione delegata eiusque et mandatae differentiis* , haud ultimo loco censeretur . Delegata enim non tantum usu recepta est , sed et moribus longe frequentior ; haec vero in venerando iuris romani facrario recondita , non quidem plane apud nos exoleuit , sed tamen multum suae perdidit celebritatis .

Cum itaque mos vbius receptus , et iussus eorum , apud quos rerum arbitrium est , postulent , ut antequam equidem ad honores , quos habet iurisprudentia , summos admittar , specimen aliquod inaugurale proponam , thema illud ex amplissimo iuris campo paeprimis mihi arrisit pertractandum . Excitauit enim ani-

---

animum dignitas huius argumenti, et multum abesse videbatur, quin illud exhaustum omnibusque numeris absolutum vocari posset. Exstant quidem commentationes egregiae de iurisdictione Virorum excellentissimorum, GER. NOODTII, ARN. VINNII, GE. CHR. GEBAYERI, FRID. ES. DE PUFFENDORF et FRID. GE. AVG. LOBETHANII; multa etiam praeclara pro sua solida legum cognitione ea de re differuit. Iureconsultus celeberrimus IVST. HENN. BOEHMERVS in iure ecclesiastico protestantium, L. I, Tit. 29, de officio et potestate iudicis delegati: nec equidem tantae superbiae fastigio tumidus sum, vt a me non dicam meliora, sed aequa bona proferri posse vñquam crediderim; haec vero animi fuit intentio, vt istam doctrinam positis eius legitimis principiis in ordinem redigerem, ac breui commentario complecterer, vt quid in ista controuersia statuendum sit oculis cuiusque subiiceretur.

Si libellus, antequam obliuioni tradatur, a peritioribus inspiciatur, eos humanissime rogatos volo, ne expectent noua rei argumenta, nulloque ore haec tenus proposita; sed vt elaborationem meam tanquam studiorum primitias dijudicare, et minus feuere de illa sentire velint. Maturior aetas fortasse maturiores dabit fructus.



DIS-

DISSESSATIO IN AVGVRALIS  
DE IVRISDICTIONE DELEGATA, EIVSQVE  
ET MANDATAE DIFFERENTIIS.

CAPVT I.

*Quo in naturam utriusque iurisdictionis tam mandatae,  
quam delegatae inquiritur.*

§. I.

Ius controuerias subditorum cognoscendi, easque secundum normam legum decidendi, quod in sensu proprio iurisdictionem appellamus a), tam essentiale est omni ciuitati, vt nec a corrupta et depravata eius forma abesse queat. Finis enim primarius, cum homines e statu naturali egredientes, potestati alterius se subiicerent, et societatem constituerent, nullus fuit, nisi vt vnitib; sub eius tutela, securitate ac defensione gauderent, quibus singuli facile carere potu-

a) Alios huius vocabuli significatus inuenies apud VOET. in Commentar. ad ff. tit. de iurisdict. §. I. et PUFFENDORF. de iurisdictione germ. P. I, c. I, §. 6. Sic interdum denotat, *superioritatem territorialem*, *ius leges ferendi*, *omnem iudicis potestatem et nudam notionem*, *seu facultatem cognoscendi sine iure iubendi*. Vid. L. 2, §. 23, D. de O. I. L. I, 5, pr. D. de re iud. L. 99. D. de V.S.

potuissent. Quaenam vero securitas erit, nisi scias, esse aliquem, qui ius, quod controversum factum est, secundum leges rite latas, componat? Pertinet ergo *iurisdictio omnis* ad eum, qui ciuitati vel solus, vel cum aliis collegialiter praest, et constituit particulam iuris maiestatici, seu eius, quod principi, qua tali competit, nec ab eo remotum cogitari potest b); vnde fluit, quod, posita ciuitate, leges naturales non minus, quam ciuiiles subditis omnibus facultatem denegent, sibimetipsis ius dicendi c), L. 176. D. de R. I. L. 7. C. vnde vi; nisi aliquando princeps partem libertatis naturalis restituendo, ex rationibus specialibus id permiserit d).

### §. 2.

Haec iuris dicendi facultas, si princeps imperii, qui fons eius, et origo est, eam actu exercet, relationemque actionum cum legibus ipse determinat, vocatur *sublimis*, seu *jurisdictio* in sensu eminentissimo. Quamuis hoc non ita semper, praesertim cum unus ciuitati praest, fieri possit; tamen exempla huius rei saluberrimae non deficient, atque historia tam veteris, quam nouioris temporis nos doceat, dari principes, quibus ea iustitiae fuerit cura, ut causas subditorum cominus constitutas deciderent. Sic de Lvnovico Pro legimus: eum tres dies singulis hebdomadi-

bus

b) SCHEIDEMANTEL *Staats-Recht der Vernunft*, P. III, §. 6, pag. II seq.

c) I. H. ВОЕНМЕР. *de poena ius sibi dicentis sine iudice*, in P. II, Nro. 1, exercitationum ad Pandect.

d) Casus, quibus id fiat, habet VoETIVS in Comment. ad Pandect. Tit. de iudiciis, §. 2.

bus destinasse, quibus subditi omnes eum liberrime adire et negotia forensia coram exponere possent, et quis rerum quotidianarum tam ignarus est, ut nesciat exempla, quibus POTENTISSIMVS BORVSSORVM REX nostris temporibus idem felici admodum successu egregie confirmauerit. Licet vero singuli subditi hac felicitate gaudere nequeant; tamen parum conuenire videtur naturae huius rei, quando generatum, imo sub poena prohibetur, ne quis principem adire, et causam suam exponere possit.

Deinde autem plenaria potestas, quae principi circa iurisdictionem competit, admittere videtur, vt partem ille alii concedat, atque sub summa eius inspectione exercendam permittat. Haec vocatur *iurisdiction subalterna*; et patet, neminem illam habiturum, nisi principis concessio-nem vel tacitam, vel expressam docuerit. De iurisdictione sublimi plura proferre non attinet; consideremus ergo rationem, qua subalterna priuatis ex imperiali voluntate con-cedatur.

§. 3.

Haec vel sic data intelligitur, vt ius in eam ipsam alicui competat, qui iurisdictionem subordinate quidem, sed ta-men proprio iure exerceat, vel vt nil praeter nudam eius administrationem habeat, et exercitium iuris alieni. Illa, quae *patrimonialis* appellatur, iure romano incognita fuit, et diuiditur in realem atque personalem, prouti praediis cohaerens in omnes eius possessores transit, vel singulis per-sonis, aut collegiis sine fundi alicuius respectu data est e).

B 2

Vtra-

---

e) De origine huius iurisdictionis vulgo disputare solent; vid.  
HEINECCIVS de origine et indole iurisdictionis patrimo-nia-

Vtraque species in eo conuenire videtur, vt postquam semel legitime adquisita est, princeps in eam nullum ius habeat, nisi quod ex iure supremae inspectionis, aut instantiarum ordine deduci potest. Si praediis cohaeret, in commercio est, heredes et omnes sequitur possesores, imo contra regulam *L. 10. D. de iurisdictione* exercetur in propriis causis aduersus subditos, qui a domino in iudicio suo conueniuntur.

Haec omnia genio aduersantur iuris Romani. Nam qui secundum leges ius dicebant, semper alienum exercebant ius, quod propter fidem personae electam nunquam in heredes transire potuit, imo, quod plerumque ad spatium annale, vel aliud temporis breve momentum restringebatur. Vnde egregie falleretur, qui hanc nobilissimam iurisdictionis particulam ex legibus Quiritum dijudicare, et rei domesticae extraneas intermischere vellet decisiones. Addiscenda potius ex Germanorum consuetudinibus, et respiciendum ad mensuram, qua largior, vel restrictior iudici patrimoniali est concessa.

#### §. 4.

Transeamus nunc ad alteram speciem, quae in iure Romano vniqa est, nempe *iurisdictionem administratoriam*; Haec, tanquam officium exercitotenus concessa, morte finiebatur, nec quidquam iuris in eam ipsam iudici competitabat.

Huius

*nialis DE PVFFENDORF de iurisdictione german. P. II,*  
Sect. 3, c. 1. Mihi praeferenda videtur eorum sententia, qui inter occasionem eius atque fundamentum distinguentes, defendunt, hoc vnicce collocandum esse in principio concessionis, cuius etiam tam expressae, quam tacitae partim leguntur exempla.

Huius diuisio frequentissima est, statuique Romanorum apprime conformis, qua in *propriam* abit atque *mandatam*. Illa regulam constituit, et adeſt, quoties is, cuius fides et industria ſemel eleſte, munere delato ipſe fungitur, omniaque expedit, ſub confeſſa iurisdictione comprehenſa. Haec moribus maiorum obtinuit, quibus introductum, ut certis obſeruatis regulis, is, qui iurisdictionem ipſe acceperat, eam in alterum conferre, et illi exercendam relinquere poſſet.

Propius vero re conſiderata, dici poſt, *mores maiorum* non niſi confecifſe occaſionem huius iurisdictionis, et *fundamentum* eius petendum eſſe ex confirmatione eorum, apud quos rerum arbitrium erat; haec tanto facilius imperiū potuit, quanto rectius eſt, per eiusmodi mandatum iuri publico non praeiudicari, nec iurisdictiones praeter neceſſitatem multiplicari, cum mandatarius nil proprii habeat, ſed repraesentans alienam personam, omnia nomine mandantis expediāt. Notabiles funt hac de re L. 1, §. 1. D. de officio eius, cui mandat. iurisd. et L. 5. D. de iurisdictione, quae tanquam fontes huius instituti allegari foſtent.

Non vero concedendum eſt, hanc ſpeciem in tantum a regulis ordinariis aberrare, ut fundamentum eius fit priuata auctoritas; ſed manet etiam hic *publica confeſſio*, quae mediate intercedit, etenim iudex mandatarius non niſi per viam ſubſtitutionis munere publico fungitur; iudex quoque ordinarius mandando iurisdictionem non definiſt eſſe iudex, ſed respectu principis concedentis omnibus ſuis tenetur obliigationibus f).

B 3

nem

f) Vnde ſequitur, iurisdictionem *mandatam* longe differre a *translata*, quod docet H. DONELLVS in *commentariis iuris ciui-*

nem et propriam et mandatam in una concurrere persona, tunc distinguendum est inter ea, quae quis hoc, vel illo respectu facere intendat. Exempla huius rei occurunt in L. 13. D. de officio proconsul. et legat. L. 3. D. de officio eius, cui mand. iurisdicti, et L. 1, §. 1; D. de tutorib. et curatorib. dat.

## §. 5.

Lectores iuris Romani admonendi sunt, ne cum *mandatariis iudicibus* confundant eos, qui tanquam vicarii exercerent alienam iurisdictionem. Horum rario fit mentio, et constituebantur a summa potestate in locum deficientis iudicis ordinarii, ideoque *immediate* suam acceperunt potestatem; illi vero per magistratum, cuius vicem gererent, et *mediate* officio publico iuris dicundi fungebantur g).

Deinde *iudex mandatarius* differt etiam a *iudice pedaneo*, qui quidem in modo procedendi Romano vtramque facit paginam. Ille vel vniuersam *iurisdictionem*, vel speciem eius accepit; hic autem nil habet, nisi *notionem*, nec potest exercere, quae imperii sunt. Deinde *mandatarius praetorius* ipse *iudicem* pedaneum dare potest, quia eodem

---

*civilis*, Libr. 17, c. 8, haec pro illicita habenda; quia supponit abdicationem, quae a munere publico priuatim fieri negavit; illa autem regulis iuris non aduersatur, nam uti mandatis negotiis ea non definit nostra esse, ita et mandans non definit esse *iudex*, et iurisdictionem suam ceteris paribus reuocare potest.

g) Vid. tot. tit. C. de officio vicarii, et G. Noont de iurisdict. c. 1. in fin. Alii id non tam adcurate obseruarunt, unde confusio iuris oriri debeat.

eodem iure pollet, quo Praetor, qui iurisdictionem suam ei commisit h).

§. 6.

Circa modum et titulum, quo iurisdictio mandata alicui relinquitur, ius Romanum expresse nil constituit, sed nomen ipsum, (vocatur enim iurisdictio mandata,) et natura totius actus indicare videtur, eam praecipue mediante contractu mandati fuisse concessam; nec difficile erit ex regulis in mandato obuiis, omnia quae in concessione, administratione, et reuocatione occurrent explicare. Interim haud negandum credo, eam aliquando etiam inuito esse mandatam, idque factum fuisse per iussum ad eum directum, qui sub mandantis potestate erat i). Imo haud absurdum est statuere, etiam alios contractus, locationi conductioni similes, innominatos etc. loco tituli esse admittendos k).

§. 7.

Vt iusto ordine procedam, necesse est disquirere, quibus magistratibus secundum ius Romanum licuerit iurisdictionem

h) Alias differentias inuenire licet apud LAVTERBACH. in coll. th. pract. §. 21. in fine, lib. II, tit. I, STRV. in Syntagm. iur. ciu. excerpt. 4, n. 44, DE COCCETI in iur. ciu. controu. tit. de iurisdict. quaest. 13.

i) DONELLVS in comment. iur. civ. L. VI, c. 8, p. 83, n. 35 seq. FRANZKIVS in Comment. ad Pand. tit. de iurisdict. §. 40, id praecipue vult ob L. 13. D. de iurisdict. sed ista lex loquitur de iusu magistratus ad iudicem pedaneum directo, a quo minus recte argumentatur ad id, quod inter iudicem mandatem et mandatarium obuenit.

nem suam alii ita relinquere, ut mandata exinde oriatur. Et sunt, qui immerito hanc potestatem moribus introductam, et voluntate principis confirmatam ad maiores restringant *magistratus*, moti praesertim *L.* 16, 17, *D.* de *iurisdic*t**. *L.* 20, *D.* de *offic.* *praef.* *k*), quibus mentio facta est *iurisdictionis*, a Praetore, Proconsule et Praefide prouinciae mandatae. Sed vnius positio non est alterius exclusio, et respiciendum potius est ad principium, a quo facultas mandandi pendet, quam ad exempla in his legibus proposita. Eiusmodi principium suppeditat *L.* 5. *D.* de *iurisdic*t**. *mandare enim is potest, qui iurisdictionem suo proprio, non alieno nomine exercet.*

Parum ergo refert, an iurisdictio alicui modo extraordinario, an ordinario ab imperante commissa sit, et omnes regulariter magistratus licet minores fuerint, mandare suam iurisdictionem possunt, vti sunt e. g. procuratores Caesaris, aediles, iuridici in prouinciis etc.<sup>l)</sup> Qui vero nil proprii habent, sed alienam repreäsentant personam, ius exinde ortum, quod non potest non esse personalissimum, iterum mandare alteri nequeunt, sed ipsi munere delato, vel semel suscep*t* fungi tenentur. Inseruit huic decisioni *PAVLI* assertum in *L.* 5. *pr.* *D.* de *officio eius cui mandat.* *iurisdic*t*.* dicentis *mandatam sibi iurisdictionem alteri mandari non posse, manifestum est.*

## §. 8.

*k)* I. H. BOEHMER. in *Introductione ad ius digestor.* tit. de *iurisdic*t**. §. 9.

*l)* H. DONELLVS *Libr.* 17, c. 8, p. 25, nro. 25 seq. et P. I. MÜLLER *ad Struivium Exercit.* 4, n. 37, lit. S.

## §. 8.

Intuitu eius cui iurisdictio mandatur, sufficit, eum instrumentum qualitatibus ordinariis, per naturam rei legibusque determinatis esse confectum, quae etiam alias in iudice requiruntur ordinario *m*). Sic certum est, non solum alium magistratum mandataria iurisdictione fungi, *L. 3. D. de officio eius, cui mand.* sed et quemlibet priuatum habilem ita substitui potuisse, licet munus publicum nullum exerceat, *L. vlt. S. 1. D. de officio eius, cui mand. iurisdict.* Solent quidem defendere iure canonico exceptionem huius regulae esse factam, *et cap. II. pr. de rescript. in 6*, statutum, quod iurisdictio mandari non possit, nisi personis in dignitate iam constitutis *n*). Sed luculentissime constat ex legis inspectione, eam loqui de iudice delegato, seu commissario, a quo, vt mox videbimus, ad iudicem delegatum non valet consequentia.

Ceterum per se patet, mandatarium, quando forma negotii in iusu consistit, mandantis potestati subiectum esse debere; quando autem via conuentionis res expeditur, nil obstat, quominus aliae personae volentes, licet extraneae eandem accipient potestatem. Nec hoc trahi potest *L. vn. C. qui pro sua iurisdict.* quae de obiectione huius iurisdictio- nis disponens afferit, negotia in alieno territorio tractanda non posse committi ei, qui extraneus est hoc in territorio. Id quidem admodum naturale est, quia mandanti nullum ius

---

*m) STRVV. exerc. 4, n. 38, LAVTERBACH. tit. de iurisdict. §. 22.*

*n) FRANZKIVS ad Pand. tit. de iurisdict. nro 35.*

ius in ea negotia competit, nec secundum L. 54. D. de R. I. plus iuris in alterum transferre potest, quam ipse habuit.

§. 9.

Obiectum iurisdictionis mandatae, quod attinet, tenendum est, eam restrictam esse ad res, quae iure magistratus competunt, et ab ordinaria dependent concessione. Saepius inulta est haec regula, et repetitur in L. 1. pr. et L. 5. §. 1. D. de officio eius cui mand. iurisdict. Sic mandari poterant notio et mixtum imperium; non vero imperium merum, et causae iurisdictionis voluntariae. Interim in legibus paucim occurunt exempla, quibus eiusmodi quid judici mandatario concessum legimus. Sic in L. 1. pr. et in fin. D. de officio eius, cui mand. permittitur, ut merum imperium in casu absentiae iudicis, cui id datum erat, alteri mandetur, et mirifice disputant Doctores, an lex de criminis vis ex lege Iulia coercendo disponens, ad alia etiam delicta sit trahenda, nec ne? Evidem affirmative respondendum puto, ea motus ratione, quod non nisi occasionraliter mentio fiat legis Iuliae et criminis vis; ratio autem legis in omnibus delictis eadem fit; deinde, quia omnes reliquas dispositiones huius legis generaliter esse intelligendas concedunt, omnes et inde e. gr. argumentantur, testes impuberis non solum repelliri in criminis vis, sed cuique alio delicto o<sup>o</sup>. Eundem in modum de manumissionibus L. 17. §. 1. D. de manumiss. vindicta, de cognitioribus suspicii tutoris, L. 4. D. de officio eius, cui mand. iuris-

---

<sup>o</sup>) Voetivs in commentar. ad Pand. tit. de iurisd. §. 10.

*iurisd.* L. 1. §. 4. *D. de suspect. tutor.* constat, potuisse aliquando expediri coram iudice mandatario, quamuis nullam habeat dubitationem, quin eiusmodi actus pertinuerint ad specialem et extraordinariam concessionem. Si itaque dicendum, quomodo ista res sit comparata, mihi videtur sistema Romanorum ita cohaerere. Habuerunt duplēcēm iurisdictionem mandatam; *vnam* quae regulariter obtinuit, et ad causas iurisdictionis ordinariae restringita, alias vero arbitrio iudicis mandantis liberimmo relata fuit; alteram, quae in casu excepto *usu* adhibita, *vbi* iurisdiction a iudice ipso exerceri non poterat, e. gr. quia absens est, aut morbosā corporis constitutione laborat; haec ratio *subjecti* valde restricta iis personis tantummodo collacari potest, quibus lex publici iudicij aut princeps voluit; Atque de hoc intelligendae sunt leges supra allegatae, sic ut isti actus tunc demum mandentur in subsidium, cum iudex, cui ab initio commissi, illis superesse non potuit, habito insuper personae respectu, an talis sit, cui in alio casu eiusmodi res expedire liceat p).

## C 2

## §. 10.

p) Quaenam negotia mandatam admittant iurisdictionem, operose disquirit vir acutissimi ingenii GER. NOODT de iurisdictione, L. 2, c. 4 — 11. qui per singula vere procedit exempla. Evidem nolui hac in re verbosior esse, dum quaestio ista apud nos otiosa est. Nam, quodsi iurisdiction mandata ipsa quidem supereft, fatendam tamen erit, omnem iudicis potestatem ab ordinaria pendere concessionē, ideoque dubium ab instituto Romano desumptum, hodie antiquitatibus iuridicis esse adnumerandum, quidquid contradicit HAHN ad Wesenb. tit. de iurisd. nro 4.

## §. 10.

Quando obiectum ita comparatum est, ut mandatum procedat, hoc dirigitur vel ad vniuersam iurisdictionem; quo casu mandatarius omne iudicis in ea re exercet officium, vel vna tantum comprehenditur causarum species, imo actus tantum sunt quidam singulares mandatario commissi q) L. 16. 17. D. de iurisd. Praeterea fuerunt actus quidam, qui mandato licet ad vniuersam causam directo nondum expediri potuerunt, sed speciali concessione indigent; huc omnes pertinent, qui decretum requirunt, et pro tribunal iieri dicuntur r). Semper itaque potestas iudicis mandatarii dimetienda atque definienda erit, ex tenore commissionis, quam ab ordinario accepit iudice.

## §. 11.

Finitur iurisdictio mandata variis modis. Huc pertinet revocatio, quae eodem modo, ac concessio ipsa a voluntate et arbitrio mandantis pendet L. 6. §. 1. D. de officio Procons. Et quidem concessio per modum iussus facta est indistincte id praecedit s); contractu autem interueniente,

natu-

q) NOODT L. 2. C. 2. H. DONELLVS commentar. iur. ciuil. L. 17. c. 8. p. 34. nr. 45.

r) STRV Syntagma iur. ciuil. Exercit. 4, n. 41, e. gr. cause libertatis et status, cognitio de suspectis tutoribus, et reliqua.

s) ORECHT de iurisdicit. L. IV. c. 8. n. 4. BERLICH in conclusionib. practicab. P. I. concl. 4. nr. 21. FRANZKIVS ad Pandect. tit. de iurisdicit. nro 40.

naturale est, huius conditiones esse feruandas, nec quidquam inuita altera parte circa resolutionem esse statuendum. Hoc autem verum est, in reuocatione alias permissa non respici ad eam circumstantiam, an res sit integra nec ne, sed omni tempore eam procedere.

Eadem certitudine iurisdictio nostra finitur morte mandantis, quia nunc velle definit, nec ipse de iurisdictione sua disponere potest. Hoc autem limitandum est per L. 6. 18. de iurisdic*t*. quoties nempe iudicium iam coeptum est, (et sufficit etiam iure Romano citationem interuenisse) toties a mandatario post obitum mandantis in hac causa continuatur iurisdictio <sup>t</sup>). Denique naturaliter extinguitur haec iurisdictio morte mandatarii ipsius; nam cum fides personae electa, in heredes hoc nomine nil transit, et cum ipse suam potestate exercere debet, substitutio alterius ab ipso viuо facta, cogitari nequit.

### §. 12.

Cognita huius iurisdictionis natura, iam venio ad quaestionem illam praejudicialem, virum et hodie liceat, iurisdictionem suam per iussum aut contractum alteri exercendam concedere? Et sane distinguendum erit inter iurisdictionem, quae administratoris nomine per officium publicum alicui obtigit, et illam, quae tanquam ius in patrimonio eius existit. In illa magistratibus nostris tanta haud contingit potestas, et quia princeps personae industriam elegit, iudex idem ius alteri conferre non potest. Nec

C 3 accu-

<sup>t</sup>) ARNOLD. VINNIUS de iurisdic*t*. cap. 12, n. 3.



accusari debet hac in re non usus juris Romani; nam scimus hanc doctrinam pertinere ad instituta iuris illius, quae nunquam recepta dici possunt, nec statui nostro conueniunt. Praeterea cessat apud nos fundamentum, quo Romanorum systema hac in re cohaerebat; moribus enim introductum fuit, ut eiusmodi potestatem iudices haberent; qui vero mores in Germania plane ignorantur u).

Aliter res sese habet in iurisdictione patrimoniali, adque res notorias pertinet, rarissime dominum iurisdictionis eiusmodi negotiis in propria persona praefesse, sed iustitario exercenda relinquere w); imo constitutio Carolina criminalis certis obseruatis circumstantiis istum morem approbavit. Huc pertinet 1) ut iusta ad sit causa, quae in morbosa corporis constitutione, in defectu iudicii, aetate iuuenili, defectu scientiae etc. facile inueniri potest; 2) mandatum dirigendum est ad subiectum habile, et idoneum, ne exercitium iurisdictionis grauiori abusui ansam praebeat; 3) praevia aliquali cognitione, accedere debet principis auditoritas. Ultimum requisitum negligere solent, cum nobiles iustitiarum ex arbitrio eligant, et priuatum iuramento obstringant. Cuius vero rei naturalis consequentia est, iudicem patrimoniale teneri ex factis sui mandatarii, eumque facta huius praestare debere, sic ut propter gra-

u) SCHILTER in praxi iur. Roman. Exercit. 5, thes. 22, DE WERNHER obferu. forenſ. P. I. obs. 23. nro 5, DE BOEHMER medit. ad C. C. C. art. 2, §. 1.

w) Hunc morem iam olim in Germania obtinuisse, eumque ad nostra usque tempora continuatum ostendit DE PVFFENDORF de iurisdict. germanica, P. I, c. 3, §. 32 seq.

grauiores abusus iustitiarii dominus ipse iurisdictione sua priuari possit x).

Ceterum non admittit dubitationem, hanc iurisdictionem mandatam non finiri per reuocationem mandantis, quoniam regulariter inter utramque personam contractus interuenit, a quo nemo sine alterius consensu recedere potest. Generaliter vero notandum est, hanc speciem iurisdictionis melius explicari ex consuetudinibus Germanorum constitutioneque Carolina, quam ex legibus quiritium, quippe quae hac in re statui nostro publico minus consenteae esse videntur.

### §. 13.

Succedit iam altera diuīsio iurisdictionis subalternae, cuius in rubrica Dissertationis meae mentio facta est, qua in ordinariam abit, atque delegatam. Cognoscamus igitur indolem eius naturalem necesse est ante quam differentias a mandata iurisdictione ipsas proponere possimus.

*Ordinaria* est, qua muneris publici loco, genus causarum alicui assignatur, ut officium ius dicentis in eo exerceat; *delegata* autem, qua certa et determinata causa speciali concessione indulgetur, ut non nisi in hac iudicis partibus fungatur y). In utraque specie occurrere iurisdictionem *propriam* nemo non videt; ex quo sequitur, *delegatum*

x) Recte itaque M E V I V S P. IV, D. 290, *perniciosos esse* inquit *Iureconfultos*, qui de moderna iurisdictionis forma ex legibus Romanis censent atque disputant.

y) G E. LVB. BOEHMER princip. iur. canon. §. 262.

gatum neutquam comprehendendi posse sub iudice mandatario, secundum mones Romanorum admodum frequenter constituto. Ex usu loquendi est ut iudicem delegatum adpellamus commissarium; quamvis haec vox propria eum denotet, cui a superiori negotium aliquod, licet haud controuersum, sit demandatum z). Sic iudex delegatus dicitur ille quidem commissarius, non vero inuoluit commissio ideam causae controuersae, nec iurisdictionis solum, sed negotia voluntaria et causas status publici aequaliter concernit.

#### S. 14.

Vt vero eo melius naturam iurisdictionis delegatae indagare, eiusque a *mandata* differentias proponere queamus, ante omnia de legibus, quae hanc doctrinam expouerunt, dicendum erit. In iure Pandectarum de iudicis delegatione altum est silentium, et omnes leges, quae hoc a quibusdam trahuntur, non pertinent, nisi ad iurisdictionem mandatam.

In codice repetitiae praelectionis quaedam occurrunt delegationis vestigia. Imperatores enim negotiorum multitudo oppresi, non potuerunt non aliquam eorum partem specialiter conferre illis personis, quibus ab initio cum munere suo haec commissa non essent. Ad constitutiones, in quibus delegatae iurisdictionis mentio facta, pertinent L. vn. C. qui pro suo iurisdict. iud. dare potest, L. 5. C. de iudiciis, L. 32, §. 4. C. de appellationibus, sed multum

---

z) DE LYNKER de commissario caesareo ad negotia status et iustitiae.

tum abest, vt ex his omnia principia, quibus illa nititur, desumi possint a). Postquam vero appellations ad sedem papalem admissae, imo in prima instantia causae controversae ad hoc tribunal aduocatae sunt, immensa ex omnibus partibus Occidentis confluens litium copia effecit, vt ordinarii iudices huic rei superesse non possent; sed darentur extraordinarii, vel delegati, quibus particula negotiorum quotidie crescentium speciatim committeretur. Inde **GREGORIUS** Papa in decretalibus suis multis constitutis longe adcuratius exposuit nouam et temporibus suis valde necessariam doctrinam; hoc praecipue factum est in toto decretalium titulo, qui de officio et potestate iudicis delegati inscribitur. Huius capitula tantum non omnia extendunt, vt dubia, quae remanserent hac in materia tollentur, et fines iudicis delegati vel commissarii describentur. Haec et apud nos vsu adhiberi, nemo est, qui inficias ire possit, modo cogitare velit magnam, qua ius canonicum in processualibus hodie pollet, auctoritatem. Interim praeter huius iuris sancta leges patriae, quarum multae in territoriis singulis inueniuntur, et mores locorum utramque faciunt paginam in decidendis quaestionibus, quae circa iudices delegatos moueri possunt.

### §. 15.

Ad ea, quae circa *iudicis delegationem* ex iure communis possunt definiri, ante omnia pertinere videtur *quaestio,*

a) *VOET* ad tit. 8. de iurisdictione, nro 11, in comment. ad D.

D

fio, cui competat ius dandi eiusmodi iudicem, seu *commissionarium*? Etsi generatim respondendum est, non nisi potestatem legislatoriam gaudere hac facultate; doctrinae tamen causa, inter diuersas species *commissionum* erit distinguendum. Ea nempe, quae ad totam causam a pragmaticis appellatur, id est, qua cognitio, decisio et executio sic delegato confertur, ut iudicis ordinarii potestas plane excludatur, ne libero quidem principis arbitrio concedi potest; sed ne subordinationes plurium iudiciorum àndē turbarentur, variis legibus constitutum fuit, ut sine magna ratione et apertissima rei publicae salute, nunquam daretur. C. C. O. P. 111, tit. 20, §. 11, Recensus visitat. 1713, §. 12, b). Maior potestas et liberius arbitrium est circa commissiones, quae ad actus singulos in processu obuenientes diriguntur. Quoties enim a iudice ordinario haud commode expediri possunt, sine vlli detimento alteri committantur, quia post actus expeditionem reliqua omnia non minus spectant ad iudicis ordinarii cognitionem. Interim uerum est, et hanc facultatem delegandi esse particulam potestatis supremae, vnde principi tantum competere intelligitur. Ceterum in plurimis territoriis vsu venit, ut principes imperii iudiciis superioribus hanc potestatem exercendam relinquant, et sic quotidie occur-  
runt

---

b) S. STRYK de delegato principis c. 2, ENGELHARD de commissionibus in genere et in specie imperialibus. Huc non perinet, quando in defectu iudicis ordinarii impetratur commissio ad totam causam. Magis enim dicendum est, iudicem in alterius substitui locum, quam ut tanquam delegatus spectari possit.

runt *iudices delegati*, seu commissarii a tribunalibus appellationum, a cancellariis etc. dati c). Eo autem hic mos minime extendendus est, vt potestas delegandi ad magistratus inferiores, seu subalternos porrigitur. Hi enim, quando singulis membris iudicij actus quosdam, e. c. amicabilem compositionem, examen testium etc. in separato senatu expediendos concedunt, *deputationem* decernere dicuntur d), et pertinet ad eum casum, quo membra iudicij quibusdam vices suas demandarunt. Hoc licitum esse nemo negabit, cum idem iudicium maneat et ab omnibus factum intelligatur, quod nomine omnium quidam expediuerunt.

§. 16.

Quod si generatim de admissibilitate commissionis constat, eius ratio proxima est tam in principiis, et iudicis superioris proprio motu, quam in partium litigantium petitionibus. Hoc tamen casu cauendum est, ne, vbi vel minima adest dubitatio, aliquid decernatur, altera non audita parte e).

§. 17.

Quod ad formam jurisdictionis delegatae, sciendum est, eam non esse multiplicem, ut in mandata uidimus (§. 6);

D 2 fed

- c) I. H. BOEHMER *de maiestate imperii magistratum maiorum.*
  - d) CLAPROTHII *Einleitung in den Civil-Proceß* §. 54.
  - e) *De causis quae iurisdictionem spectant, et plerumque coram commissione tractari possunt, vid. CLAPROTH l. c. §. 55.*

sed vnicē in iussu consistere, qui ad personam sibi subiectam dirigitur, *vide COCCIVM in iure ciuili controuerso, tit. de iurisdict. quaest. 13.* Inde est, quod superior quidem, minime autem iudicium, alias potestate delegandi instructum, commissionem in iudicem patrimonialem, vel nemo eorum in alieno territorio degentem possit decernere.

Instrumentum, quod per modum rescripti nouo iudici datur, *commisſorium* vocant, ex eoque non solum fines potestatis, quae in eum porrecta est, dijudicantur <sup>f)</sup>; sed delegatus etiam hac ratione personam suam legitimare et ostendere tenetur, sibi in hac causa officium iudicis specialis esse collatum. Vnde v. g. primae litigantium citationi exemplar commissorii adiungere solent, quia hac solennitate omissa, nulla comparendi necessitas oriretur.

### §. 18.

In persona delegati non solum naturales et ciuiles qualitates desiderantur, quae alias in iudice habili necessariae sunt; sed regulariter commissiones decerni non debent, nisi ad personas, quae in aliis causis munere iudicis iam funguntur, ad easque iuramento consueto abstiri sunt. Huc pertinet iuris Canonici sanctio, quia *cap. II. de rescriptis in 6.* voluit, ut mandatum semper dirigaretur ad per-

<sup>f)</sup> Patet itaque omnia, quae a iudice delegato aduersus tenorem rescripti delegationis, sive commissori strictissime interpretandi attentata sunt, neutiquam consistere; sed nullitate absoluta corruere. LEYSER Spec. 28, m. 3.

personas in dignitate constitutas; nam de iurisdictione mandata in sensu proprio haec intelligi non possunt; quandoquidem de ea ius canonicum nihil cavit. Interim necessitas ex defectu alterius personae habilis repetita, et quod magis excusari potest, principis voluntas subinde exceptiones huius regulae punire solet.

§. 19.

Interdum *iudex delegatus* potestatem iudicandi sibi collatam ipse exercere nequit, an tunc liceat, alium in suum locum substituere, seu iure subdelegandi vti, saepe in dubium vocatum est. Sunt enim, qui id fieri posse generaliter negant, nisi forsan commissorum tam late pateat, vt et hanc facultatem expresse comprehendat g). Alii distinguendum censent inter delegatum principis, et eum, qui a iudice superiore datus sit h), quarum opinio mihi quidem reiicienda viderur propterea, quod negari non potest, iudicem, qui hanc a principe vel tacite, vel expresse accepit potestatem, in exercitio eius non esse impedendum, neque aliis legibus eum teneri, quam ab Imperante ipso obseruandis. Praferenda igitur erit affirmantium sententia, qui ob L. 5. C. de iudiciis et c. 27. X, *de officio et potest. iudic. delegati* cuicunque iudici delegato potestatem subdelegandi concedunt. Simul vero iustum et menti cap. 27. cit. exactissime conueniens est, vt in subdele-

D 3 gatio-

g) I. H. BOEHMER in iur. eccles. Protest. L. I, Tit. 29.  
§. 32. 38.

h) LEYSER l. c. m. I.

gationem altera pars consentiat; quamuis et in defectu iustae recusationis dissensus eius minime attendatur *i*).

Interim ob varios ICTORUM dissensus, qui circa hanc quaestione haud facile componuntur, melius erit, in commissorio ipso exprimere, quale ius subdelegandi datum intelligatur; omnesque etiam dissentientes in eo conueniunt, expressam et tacitam voluntatem constituentis sufficere, et hoc quaslibet circumstantias esse referendas, quae nullam aliam interpretationem admittant *k*).

#### §. 20.

Quae denique potestas iudici delegato concessa fit, tunc potissimum quaeritur, quum in vna eademque causa plures dati sunt commissarii. Haud raro enim oriri solent dubitationes, num omnes, quorum in instrumento commissionis mentio facta est, simul iudicare debeant, num singulis quoque liceat rem istam agredi? Qua in re iterum distinctione est procedendum. Quoties plures commissarii a principe sic dantur, ut nulla circumstantia, quae rem exponat, reperiatur adiecta, seu quoties *indefinitae* constituti sunt, ex tacita delegantis voluntate coniunctim et ita dati intelliguntur, ut nemo sine altero procedere queat.

Ner-

---

*i*) LEYSER I. c. m. 2.

*k*) Exemplis rem illustrat I. H. BOEHMER in I. E. P. L. I, T. 29, §. 14 seq. et pertinet e. g. casus, quo princeps imperii delegatus est, qui ius concessum consiliarii suis exercendum reliquerit, eam fuisse delegantis mentem, ut ipse in propria persona ipsis vacare debeat negotiis.

Neruose hanc regulam proposuit ALEXANDER III. in c. 16, X; de offic. et potest. iud. delegat. dicens, quia, cum causa duobus committitur, sententia unius non tenet; eundem in sensum c. 22, X, eod. Idem et tunc statuendum erit, cum hic, illeue ex pluribus mortuus sit, aut alio impedimento teneatur, quo casu omnis commissarii vis, omnesque eius effectus cessant, et res superiori proponenda est, vt aliam decernat commissionem l). Alter casus nostrae distinctionis est, vbi superior ipse modum designat, secundum quem plures delegati procedant. Si hoc verbis expressis et naturalibus factum est dubitatio remanebit nulla; nemo enim temerarie sensum et mentem constitutionis contemnet. Sed interdum princeps, aut iudicium facultate delegandi instructum, formulis, aut clausulis vti solent in rescriptis suis, quarum sensus non est ita certus, ne causarum patronis occasio litis superfit. Huc pertinet clausula *disiunctiva*, seu *coniunctim et separatim*, quam in vernacula, *samt und sonders* exprimere solent. Haec efficit, vt perinde sit, omnesne procedant, an singuli eorum; immo dubium non habet, quin primo ius suum exercentes, praeuentione reliquos excludant; hue pertinent verba c. 8. de offic. et potest. iud. delegat. in 6, ipsorum quilibet iniunctum potest libere adimplere mandatum.

Altera, quae adiicitur clausula a pragmaticis, *conditio-nalis* vocatur, vel *si non omnes et germanice samt, oder son-*

l) Lubenter tamen concedo, vim commissionis subsistere, quando index, qui cessat, iure subdelegandi instructus est et antea reliquias vices suas demandauit.

*sonders audit.* Hujus in eo consistit usus, ut singuli tunc demum possint causam controversam terminare, cum reliqui vel impediuntur, vel nolunt suae superesse prouinciae, c. 13. X, de rescriptis.

Interim ob verborum incertitudinem, et incommoda  
inde oriunda, consultum erit delegantem abstinere ab istis  
formulis, et fines potestatis vnius cuiusque ex pluribus  
commissariis ita describere, ut de mente sua lites oriri  
nequeant m). Quodsi autem dubia semel adsunt, magis  
conuenit, rem principi proponere, eiusque petere decla-  
rationem, quam certamina permittere odiosa.

### §. 21.

Restat, ut modos enarrem, quibus extinguitur com-  
missorium, ideoque iurisdictione delegata ipsa finiatur; sed  
quia rectius id reor me factorum cum simul ostendero,  
qua ratione hac in re a *iurisdictione delegata*, differat  
mandata, potius duxi, hanc disquisitionem alteri capitii  
huius libelli reseruandam.

---

m) Idem suadet CLAPROTH l. c. §. 57. p. 180.



CAPVT

---



---

## CAPVT II.

*Sistens differentias inter iurisdictionem mandatam  
atque delegatam.*

§. 22.

**E**x his quae capite antecedente de natura atque indeole vtriusque iurisdictionis delegatae atque mandatae sunt disputata, luculenter constare potest, eas *re* et *effectu* quam maxime discrepare. Enim vero, cum fuerint, qui has species confunderent, aut saltim rationes differentiae, quibus distant, minus sufficienter exponerent, operae pretium erit, si hanc rem paulo accuratius aggrediar, et per singulas differentias eundo, ita rationes subducam, ne vllum remanere possit dubium.

Antequam vero ad istam demonstrationem me accingam, ab aliis circa hanc rem quae tradita sint, per indicem lubet referre, vt inde, quam parum ea sufficient, cui libet constare possit.

Defendunt nempe ICti clarissimi, iudicem *mandatum* et *delegatum* nomine quidem, non vero re ipsa differre; ideoque minus necessarium esse, vt nouam denominationem iure canonico introductam recipiamus proinde doctrinam difficultem tironibus, interpretando reddamus difficultorem n).

Quam

n) STRYK in vsu moderno tit. de officio eius, cui mand. iurisdic. §. 3. IDEM in Dissertat. de delegato principis, c. I, n. 40 seq.

E

Quam perniciosa sit haec opinio, vix dici potest; sequetur enim, omnia principia iurisdictionis mandatae nostris moribus non ita conuenientis, applicanda esse ad iurisdictionem delegatam, quae tantum non quotidie apud nos vsu adhibetur, atque sic omnino meruit, ut ex genuinis fontibus et principiis domesticis ducatur.

Alii differentiam inter has species animaduertentes, iudicem delegatum vocant *ens ex mandatario et pedaneo conflatum*, et papam accusant, qui in iure canonico suo hanc nobis obtruserit confusionem o). Quilibet sincerus rerum aestimator etiam me non inveniente videbit, neque hanc sententiam nostrum applausum mereri. Non solum rem obscuram suis positionibus obscurionem reddunt; sed iisdem malis rem forensem adficiunt, quibus priori adoptata opinione, hodiernae scalent decisiones.

Sunt denique, in eo rationem differentiae qui statuant, quod *mandatario* vel *vniuersa iurisdictione*, vel saltim in certis caularum generibus; *delegato* autem in actibus singularibus committeretur; *Illum* vocantes *vniuersalem*, *hunc particularem mandatarium p)*. Talia qui statuunt, *rem ipsam* non distinguunt, sed a modo omnia repeterere student; eum vero *modus* non variet *rem*, sequitur: nil noui inde adductum, sed delegatum iudicem esse mandatarium aliquem atque sub suo genere comprehendendi.

§. 23.

---

o) SVTHOLN de iurisdictione §. 364. FRANZKIVS in comment. ad Pand. tit. de iurisdict. n. 39.

p) I. H. BOEHMER in I. E. P. L. I, Tit. 29, §. 7.

## §. 23.

Vt igitur in inuestigandis legitimis differentiis, iusto ordine procedamus, primo omnium ad fundamentum diuisionis, quod in vtraque specie occurrit, respiciendum est. Hoc enim si aliud est in distinctione inter iurisdictionem propriam atque mandatam, aliud autem, si ordinariae delegatam opponis, recte concluditur, etiam iurisdictionem mandatam atque delegatam toto coelo differre, nec unquam eas pro synonymis haberi posse. Nititur vero prior distinctio in eo momento, vtrum quis suo iure, quod sibi a legislatore collatum est, vtatur, an per alienum beneficium hanc acceperit potestatem, causas controuersas cognoscendi et decidendi, sicut eam non nisi *mediate* a principe suo teneat. Hunc in modum neutiquam argumentamur, vbi iurisdictioni ordinariae, delegatam opponimus; sed obiectum huius diuisionis est iurisdictionis *propria* tantum et fundamentum agnoscit modum eam conferendi diuersum. Sic ordinariam vocamus, quando potestas iudicandi tanquam manus publicum alicui est collata, quam in omnibus negotiis et in posterum exercere potest; *delegatam* vero quando speciali concessione superioris partes iudicis exerceendas accepit, et potestas eius finitur, simul ac genus negotiorum commissiorum absolutum est q). In illa itaque diuisione fundamentum petitur ab ipso eius obiecto a diuersitate iuris per iurisdictionem collati; huic vero modus, quo idem semper ius confertur fundamentum suppeditat. Quum itaque a nemine in du-

E 2

bium

q) G. L. BOEHMER in princ. iur. Can. §. 262.



bium vocari possit, quod duo membra diuersae distinctio-  
nis, et aliud plane agnoscens fundamentum, non de-  
beant confundi, vel haec vna argumentatio sufficeret ad  
refutandam dissentientium opinionem. Sed sunt aliae  
eiusdem rei differentiae, quae nunc erunt proponendae.

### §. 24.

Pertinent enim huc ea, quae a diuersitate *mandantis*  
et *delegantis* abstrahuntur. Vidimus §. 7. capituli antece-  
dentiis, more maiorum omnibus regulariter magistratibus  
proprium fuisse, suam aliis relinquere per modum man-  
dati iurisdictionem; ex quo porro fluit, ius mandandi ita  
connexum fuisse iurisdictioni ordinariae, ut ab ea plane  
separari non posset. Longe aliter statuendum est de *iure*  
*delegandi*; hoc enim continetur facultas, nouam confe-  
rendi iurisdictionem, et augendi numerum ius dicentium,  
quod quia particula est iuris maiestatici, non nisi princeps  
in re publica et ii habere possunt, quibus ab imperante  
speciatim concessum sit. Hac ratione non quilibet hodie  
magistratus iudices delegatos, seu commissarios nominat,  
neque etiam iudicia superiora id sub hac qualitate facere  
possunt; sed quia interdum praeter potestatem iudicandi,  
hoc iure a legislatore aucti sunt.

### §. 25.

Aliam differentiam nobis praebet obiectum vtriusque  
jurisdictionis; vt subeat mirari, cur in eam non incide-  
rint potius dissentientes cum rem ipsam, ex qua prouen-  
it, non possint non concedere.

Sae-

Saepius notatum est ab aliis, obiectum iurisdictionis mandatae apud Romanos constituisse omnia ea, quae ab ordinaria penderent concessione, et perinde non contineri, quae sunt e. gr. voluntariae iurisdictionis, meri imperii et reliqua. Fuit quoque ista restrictio admodum naturalis et genio illius iurisdictionis adprime conformis, quia in exemptas partes iudici ex mandato nullum ius erat ante specialem concessionem; quapropter nil alteri relinquere poterat.

Consideremus nunc obiectum delegatae iurisdictionis, et cuilibet constabit, hoc longe amplius esse; neque restringi illud posse, nisi voluntate principis delegantis, cui in hac re liberum competit arbitrium, atque libera dispositio. Sic quotidiana docet experientia, non solum ea quae in processu ordinario sunt expedienda, commissariis relinquiri, sed potestatem eorum ultra causas litigiosas extendi, imo etiam particularem concessionem tractandi et componendi causas status, delegatione contineri <sup>r).</sup>

### §. 26.

Deinde effectus utriusque iurisdictionis, seu fines potestatis, qui vel mandatario vel delegato iudici diuersi praescribuntur; in hac materia attendi debent. Mandans enim et mandatarius non nisi vnam conficiunt personam, sic ut hic post mandatum eodem iure gaudeat, quod ille antea

E 3

ex-

<sup>r)</sup> I. H. BOEHMER in I. E. P. L. I, Tit. 29, §. 8, et Nic. CHRISTOPH. L. B. DE LYNKER de commissariis ad negotia status et ad negotia iustitiae.

exercere potuit; ideoque in dirigendis iuribus eius speciali determinatione opus non erat, sed e modulo potestatis, quae mandanti competit, omnia dependebant, et certa erant. Dum autem is, qui iudicem delegatum constituit, regulariter sit princeps, eadem aequiparatio nequidem cogitari potest; et ex necessitate aliqua in commissorio exprimendum est, quam particulam iuris plenissimi, quod princeps ipse habet in republica commissarius sit accepturus. Alias difficile esset eiusmodi fines inuenire, quibus transgressis et non obseruatis nullitate laborant omnia, quae ab eo sunt gesta. Haec instructio delegati eo magis necessaria, quo specialius negotium est, quod ipsi committitur.

#### §. 27.

Intuitu differentiae, quae quoad formam inter utramque speciem intercedit, lectores ad §§. 6. et 17. huius libelli remitto. Ibi nempe traditum est, mandatam quidem iurisdictionem concedi variis adhibitis formis, quo praecipue contractus mandati, locati conduicti et innominatus erant referendi; delegatam vero vnicē per iussum fundari superioris, ideoque eam conferri non posse, nisi personis potestate delegantis subiectis. Hoc loco circa inde oriundam differentiam dubio occurrentum est, quod quidam sub specie veritatis interdum mouere solent s). Vrgent nempe delegationem quoque diuersam admittere formam, et tam mandato, quam praecepto et rescripto superioris illam fundari, prouocantes ad c. 13. X. de re script.

---

s) G. L. BOEHMER princip. iur. Canon. §. 262. not. b.

*script. c. 1, 21, X, de officio et potest. delegat.* in quibus id constitutum legitur; Sed monendum est, Papam his verbis aliquando vsum fuisse, partim, quia istis temperstatibus, instituta iuris peregrini et patrii iam confundebantur; partim, quia ex contextu suae orationis luculentter adparuit, se non tam stricte inhaesuisse sensui proprio eius vocabuli, sed liberius eo vsum fuisse. Sic e. gr. *mandato* in c. 1. *allegato* non indigitari *contractum*, vel inde conspicuum est, quia in eadem propositione, *praecepti* mentio facta, eiusque idea arctissime cum illo vocabulo coniuncta reperitur<sup>t</sup>). Confirmat hanc responsionem, res omnibus notissima, nec vnquam in dubium vocata, putare velis *necessitatem*, qua subiectum passuum ratione diuersa adstringitur, prout de iurisdictione mandata, vel delegata oratio est. Illam nemo recipere tenetur, sed liberam habuit quilibet potestate recusandi, aut abeundi munus delatum. Quis vero eo procederet, vt commissariis nostris facultatem daret pro libitu suo recusare officia sibi commissa? Quae tamen naturalis consequentia esset, si causa efficiens huius iurisdictionis in contractu quodam reperiretur <sup>u</sup>).

### §. 28.

Notabilem differentiam vltierius sistit illa consideratio, qua relationem intuemur, in qua sunt iudex mandans  
cum

- 
- <sup>t</sup>) Mecum facere videtur SAM. DE COCCII *in iure controu. ciu. tit. de iurisdic. qu. 13.*
  - <sup>u</sup>) R. RVLAND *de commissionibus*, T. I. L. II, c. 26, I. H. BOEHMER I. E. P. L. I, T. 29, §. 34.

cum mandatario, et delegans cum iudice delegato. Saepius enim monitum est, illos pro vna habendos esse persona, et iudicata mandatarii spectari tanquam ea, quae a mandante sint profecta. Vnde vnum habere dicuntur tribunal, nec appellari potest a sententia mandatarii ad mandantem, sed necesse est: vt prouocatio ad superiorem dirigatur mandantis, vt expresse legitur in L. I, §. I. D. qui a quo appetetur: nam generaliter inquit Ictus, *is erit prouocandus, ab eo, cui mandata est iurisdiction, ad eum, qui mandauit iurisdictionem w).* Nec id negari potest, hodie eadem obseruanda esse principia, quoties occurrit iurisdiction mandata in sensu iuris Romani, vt vel in eo casu videre licet, quo is, qui sententia iustitiarii grauatus neutiquam prouocat iudicem patrimoniale ipsum, sed superiorem eius, quem adit ibique persequitur remedium interpositum suspensuum.

Alia omnino intercedit relatio inter delegantem et delegatum, seu commissarium. Dum enim iurisdiction delegata naturam habeat concessae et subordinatae iurisdictionis, sequitur: hos proprio nomine agere, adeoque ab eorum pronunciatis viam appellationis patescere adiudicem proxime superiorem, imo si iudicium superius commissiōnem dedit, hoc ipsum esse prouocandum.

Adprobata est haec subordinatio non solum in L. vn. C. qui pro sua iurisdiction, sed etiam in c. 27. X, de officio et

---

w) FRANZKIVS in comment. ad Pand. tit. de iurisdiction. nro. 41.

*et potest. iud. delegat. c. II. eod. in 6. x).* Haec facultas adpellandi eo procedit, vt exerceri etiam possit intuitu sententiae a subdelegato latae ad subdelegantem, modo hic non omnem dederit iurisdictionem c. 27. §. 2. citat.

Practici, qui inter iurisdictionem *delegatam* et *mandatam* minus distinguunt, ordinem vero circa prouocationes a iudice commissario non ignorant, accusare solent mores hodiernos, quod hac in re principiis iuris Romani non inhaereant, sed aduersus L. I. §. I. D. quis a quo appell. adpellationes admittant ad iudicem mandantem directas<sup>y</sup>); qua in re autem egregie falluntur, dum non animaduertant, conclusionem ab vna specie defumtam non deberi applicari ad aliam speciem, licet illae sint sibi aliquo modo similes, atque ad vnum pertineant genus negotiorum.

### §. 29.

Restat ultima differentia, quae a modo finiendi utramque iurisdictionem defumta est. Non opus erit, vt, quae de modis finiendi iurisdictionem mandatam §. II. capituli prioris praecipua sunt, hic repetam, sed quomodo hac in re differat delegata, age, proponamus.

Sic

x) G A I L. obf. cameral L. I, obf. 121, n. 2, R V L A N D. P. I, L. 5, c. 13, n. 4 seq.

y) B E R L I C H conclus. practicab. P. I, Concl. 123, L V D O V I C I Einleitung in den bürgerlichen Proceß, c. 9, §. 21.

F

Sic 1) quod supra de reuocatione traditum est, hic generaliter procedit; dum nempe in delegatione praecipuum, seu iussus lateat superioris: hic semper pro lubitu et contraria voluntatis declaracione eam finire potest, nec vñquam regeri ipsi debet, quod vbi res semel incepta, ibidem fit finienda.

2) Vidimus mandatam iurisdictionem, nisi res non amplius integra sit, definere per mortem mandantis: hoc non ita se habet quoad delegatam; sed continuatur illa post mortem delegantis, quories hic membrum collegii fuit, quod quoad superfites sodales perdurat.

3) Denique delegata iurisdictionio non semper finitur morte delegati, sed vbi plures commissarii sub clausula conditionali, vel disiunctiva etiam dati sunt, eadem iurisdictionio a remanentibus continuatur, vsque dum omnia negotia commissa ad finem perdueta sint.

Praeter hos modos, qui mutatis mutandis utriusque iurisdictioni communes sunt, dantur alii ad delegatam tantummodo referendi: hoc pertinet: a) lapsus temporis, quod ad perficiendum negotium commissariis aliquando praescribitur in instrumento sive rescripto delegatorio; hoc enim elapso, propter strictam eius interpretationem, omnis statim evanescit iudicis potestas.

b) Si potestas superioris dandi eiusmodi iudicem cessatione ante, quam res a commissario adgressa et incepta sunt, runc nulla vis delegationis remanere potest, quia nihil magis

magis naturale est, quam ut effectus cesseret, simulac causa efficiens vel nulla est, vel extincta z).

### S. 30.

Haec fere sunt, quae de differentiis duarum specierum iurisdictionis differere animus fuit, et sane crediderim, illa sufficere ad quemlibet conuincendum, eas non esse habendas pro denominationibus synonimicis, sed multiplici sensu differre atque a se inuicem deflectere.

Vir acutissimi ingenii SCHILTERVS a), quamuis in eo aliquatenus dissentiat, quod usum omnem negauerit iurisdictionis mandatae, in hoc tamen quam optime mecum conspirat, quod iurisdictionem hodiernam commissam et *forma* et *effectu* longissime a Romanorum iurisdictione mandata abesse contendat.

Sic omnino mirari satis non possum, dari, qui huius naturam, quae moribus et iure Canonico vnicē debetur, ex iure Romano explicare, immo, quod aliquando factum est,

- a) Ad modos finiendi iurisdictionem delegatam non referto casum, quo partes litigantes iudicem suspectum remouere intendant. Tunc enim proprie loquendo non finitur commissio, sed defectus qualitatum, quae in delegato requiruntur, efficit, ut effectum habere nequeat, et mutato obiecto ad alium magis habilem dirigatur.

a) In praxi iuris Romani Exercit. 5, §. 22.

est, doctrinam diu antiquatam de iudice pedaneo intermisericordia non erubescant.

Quamvis enim concedamus, adesse argumenta, quae si inuestigentur operose et illustrentur, in vtraque specie eadem videri possint; id tamen dubitationem faciet nullam, cum potius admodum probabile sit, et naturae rei consentaneum, nihil obstat, quominus duo ciudem generis negotia, in hoc vel illo capite conueniant, eundemque producant effectum.

#### C O R R I G E N D A

- |   |  |
|---|--|
| pag. 17. lin. 3. pro <i>esse</i> leg. <i>habere</i> .<br>p. 18. l. 7. pro <i>inculta</i> l. <i>ineulcata</i> .<br>p. 19. l. 13. pro <i>collacari</i> l. <i>collocari</i> .<br>p. 24. l. 2. pro <i>mones</i> l. <i>mores</i> .<br>p. 25. l. 4. pro <i>aduocatae</i> l. <i>vocatae</i> .<br>p. 28. l. vlt. pro <i>dirigaretur</i> l. <i>dirige-</i><br><i>retur</i> ,<br>p. 29 l. 6. pro <i>punire</i> l. <i>munire</i> ,<br>p. 30. l. 15. pro <i>agredi</i> l. <i>adgredi</i> ,<br>p. 31. l. 6. pro <i>commiffarii</i> l. <i>commif-               forii</i> , | pag. 31. lin. 15. pro <i>solent</i> leg. <i>solet</i> .<br>— — — — — pro <i>ne</i> l. v. <i>ne</i> .<br>p. 32. l. 14. pro <i>factorum</i> l. <i>facturum</i> .<br>p. 34. l. 15. pro <i>scalent</i> l. <i>scatent</i> .<br>— — l. 22. pro <i>eum</i> l. <i>cum</i> ,<br>p. 35. l. 18. pro <i>manus</i> l. <i>manus</i> ,<br>— — l. 22. pro <i>commifforum</i> l. <i>com-               missorum</i> ,<br>p. 38. l. 4. pro <i>Dum</i> l. <i>cum</i> ,<br>— — l. 5. l. <i>ne cogitari</i> quidem,<br>p. 39. l. 17. pro <i>earet</i> l. <i>daret</i> . |
|---|--|



Marburg, diss., 1773-  
8

ULB Halle  
005 359 880



3

vDn8



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

4,224  
15  
1783,1  
E IVRISDICTIONE DELEGATA  
EIVSQVE ET MANDATAE  
DIFFERENTIIS  
DISSERTATIO

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPE  
ET DOMINO  
ONO FRIDERICO II

HASSIAE LANDGRAVIO RELIQA  
LVSTRIS IVRISCONSULTORVM ORD. AVCTORITATE

VT ADITVM SIBI  
AD SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES

APERIRET

AD BIEM XXVII. FEBR. CICIOCCCLXXXVIII

PROPOSVIT DISPVNTANDAM

VOLCHARDVS MEYER

BREMA-SAXO

MARBVRGI CATTORVM  
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA BAYRHOFERIA,

